

tum purgationem, quod multas seu omnes egritudines habeat tunc curare. Quod patet per Arnoldum de villa noua peritissimum medicū, qui dominum Innocentium Papam cum hac medicina ab infirmitate, ceteris medicis incurabilem liberauit. De sene facit iuuenem, & reuiuiscere facit, seruat sanitatem, corroborat naturam, & omnem egritudinem corporis expellit, venenum a corde declinat, arterias humectat, contenta in pulmone dissoluit, breuiter totum corpus habile reddit. Est ita preciosum quod nullus habet exsoluere, & ita rarum quod nullibi poteris reperire, ergo &c.

O foelix sciētia cum sciente, qui eam habet incomparabilem thesaurum possidet, in salubri constellatione natus est, et in hoc seculo super omnes ditatus, coram Deo et hominibus honoratus, quia nō per vsuram & fraudem vel falsis mercimonijs, & pauperum spoliationem, nec per subditorum oppressionem, sicut iam potentes mundi ditantur. Sed per laborem manuum & industriam ingenij hic thesaurus acquiritur, ergo beatus.

Philosophi veritatem cognouerunt, ideo eam scientiam posuerunt super naturæ motum & modum eius imitantes, nunquam aliquis philosophus repertus est mendacium posuisse, licet obscure locuti sint, & hoc propter eius nobilitatem fecerunt. Aliqui scribunt in libris suis mendosis

d